

No. 1029. 1455. 6. Mai.

P. Calixtus III. entscheidet auf Vorstellung des Bischofs und der Geistlichkeit der Diöcese Meissen, dass der in verschiedenen Gegenden Deutschlands übliche Gebrauch Geldzinsen von Grundstücken allerlei Art für angemessene Summen zu erkaufen, erlaubt und den Verpflichteten nicht gestattet sei auf Grund des neuerdings angeregten Zweifels über die Zulässigkeit eines solchen Vertrags die Zahlung dieser Zinsen zu verweigern.

Calistus episcopus servus servorum dei ad futuram rei memoriam. Regimini universalis ecclesiae etc. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Casparis episcopi Misnensis ac dilectorum filiorum universi cleri civitatis et diocesis Misnensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet a tanto tempore, cuius contrarii memoria non existit, in diversis Alamaniae partibus pro communi hominum utilitate inter habitatores et incolas partium earundem talis inoleverit hactenusque observata fuerit legitime praescripta ac moribus utentium et etiam ordinariorum permissione et plerumque expressa ratificatione approbata consuetudo, quod ipsi habitatores et incolae sive illi ex eis, quibus id pro suis statu et indemnitatibus expedire visum fuerit, super eorum bonis domibus terris agris possessionibus praediis et hereditatibus annuos marcharum florenorum seu grossorum monetae in partibus illis currentis redditus sive census vendentes pro singulis ex marchis florenis seu grossis huiusmodi ab eis, qui illos vel illas sive redditus vel census ipsos emerint, certum competens pretium in numerata pecunia secundum temporis qualitatem et prout ipsi vendentes et ementes in contractibus super his inter se firmarunt, recipere soliti fuere, illa ex bonis domibus terris agris praediis possessionibus et hereditatibus praedictis, quae in huiusmodi contractibus expressa fuerunt, pro dictorum solutione reddituum et censuum efficaciter obligantes in illorum favorem hoc adiecto, quod ipsi pro rata qua huiusmodi per eos receptam dictis ementibus restituerent in toto vel in parte pecuniam, a solutione reddituum seu censuum huiusmodi dictam restitutam pecuniam contingentium liberi forent penitus et immunes, sed iidem ementes etiam si bona domus terrae agri praedia possessiones et hereditates huiusmodi progressu temporis ad omnimodae destructionis sive desolationis reducerentur obprobrium, pecuniam ipsam etiam agendo repetere non valerent; apud aliquos tamen haesitationis versatur scrupulus, an huiusmodi contractus liciti sint censendi, unde nonnulli illos usurarios fore praetendentes occasionem quaerunt census et redditus huiusmodi aliis ab eis debitos non solvendi. Quare pro parte episcopi et cleri praedictorum asserentium, quod in talibus sic emptis censibus et redditibus fructus redditus et proventus plurium ecclesiarum monasteriorum hospitalium et ecclesiasticorum beneficiorum civitatis et diocesis partium praedictarum necnon fere omnes quotidianae distributiones, quae in plerisque ex ecclesiis ipsis divinis interessentibus ministrari solent, consistere noscuntur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his apostolicae sedis declarationis oraculum impartiri et adhaerere paterna diligentia curaremus. Nos igitur huiusmodi in hac parte supplicationibus inclinati et factas ex commissione felicis recordationis Martini papae V. praedecessoris nostri desuper examinationem et eiusdem praedecessoris declarationem attentius perstrin-